

VVERNHERVS COMES IN GRIENINGEN.



**V**vernherus filius fuit Huldrici comitis Virtēbergēsis. Is post patrem comitatum Gr̄ieningen adeptus, res plurimas in Imperio preclarè ges-uit, ac inter Germaniæ proceres in magna authoritate fuit, anno Christi 1120. Cum aliquando Vuernherus Heinricum Imperatorē eius nominis quintum ex Suevia in Hassiam comitaretur, amoenitate regionis motus, ab eo locum, qui tunc solitudo erat, sibi dari petiit. Eius uoti compos factus ex suis bonis monasteriū Breytnauu ibidem fundauit, atq; duodecim fratribus ex Hirsgauia uocatis inhabendum concessit. Hisce Trutuīnum abbatē præfecit, cum autem is breui moreretur, Heinricum ui-  
rum sanctum ex Hirsgauia uocatum ei substituit: sub eo fundamenta maioris ecclesiæ S. Mariæ iecit, atq; monasterium multis redditibus exornauit. Cum postea comes in eo loco moreretur, totam monasterij administrationem abbatī concessit. Naucler. Generat. 38. à nato Christo.